



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

IOANNESBURGENSIS*

In Africa Australi constituitur nova Provincia Ecclesiastica Ioannesburgensis, cuius metropolitana Ecclesia erit
Sedes eiusdem nominis

Cum ad aptius consulendum Evangelizationis operi in Africa Australi opportunum visum esset ibidem novam Provinciam Ecclesiasticam condere, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque votis eorum quorum interest, censuit nuper ut ad eiusmodi institutionem procederetur. Nos vero solliciti de totius Dominici gregis bono, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana Sede Praetoriensi seiungimus dioeceses Ioannesburgensem, Manziniensem, Klerkpolitanaam et Vitbankensem; ex iisque constituimus novam Provinciam Ecclesiasticam Ioannesburgensem atque dioecesim eiusdem nominis ad Archidioecesis Metropolitanae gradum evehimus, cui assignamus uti suffraganeas ceteras dioeceses Manziniensem, Klerkpolitanaam et Vitbankensem cuiusque insuper principem Sedem in urbe Ioannesburgensi iubemus poni. Insuper Venerabilem Fratrem Buti Iosephum Tlhagale, O.M.I., hactenus Archiepiscopum-Episcopum Ioannesburgensem, renuntiamus primum Archiepiscopum Metropolitanam Ioannesburgensem. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Iacobo Patricio Green, Archiepiscopo titulo Altinensi atque Apostolico Nuntio in Republica Africae Australis et in Natione Svazilandensi, onere imposito sincerum exemplar actus effectae executionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo septimo,

Pontificatus Nostri tertio.

THARCISIUS card. BERTONE <i>Secretarius Status</i>	IVAN card. DIAS <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	--

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 7, pp. 582-583 © Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana